

e-rara.ch**Sammelband ETH-BIB Rara**

Dissertatio academica prior De potentiis coelorum, quas vulgo influxus vocant, quam
... amplissima Facultate philosophica benevole consentiente in illustri ad Salam
Academia publico eruditorum examini sistet praeses M.Martinus Böhm ... et
respondens Christophorus Johannes Brabender ... ad diem ...

Boehm, M.**Ienae i.e.Jena, 1684****ETH-Bibliothek Zürich**

Signatur: Rar 4017

Persistenter Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-977>

e-rara.ch

Das Projekt e-rara.ch wird im Rahmen des Innovations- und Kooperationsprojektes „E-lib.ch: Elektronische Bibliothek Schweiz“ durchgeführt. Es wird von der Schweizerischen Universitätskonferenz (SUK) und vom ETH-Rat gefördert.

e-rara.ch is a national collaborative project forming part of the Swiss innovation and cooperation programme E-lib.ch: Swiss Electronic library. It is sponsored by the Swiss University Conference (SUC) and the ETH Board.

www.e-rara.ch

Nutzungsbedingungen

Dieses PDF-Dokument steht für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Es kann als Datei oder Ausdruck zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Terms and conditions

This PDF file is freely available for non-commercial use in teaching, research and for private purposes. It may be passed to other persons together with these terms and conditions and the proper indication of origin.

1721

DISSERTATIO ACADEMICA

P R I O R

De

POTENTIIS COELORUM,

quas vulgo

INFLUXUS

VOCANT.

quam

ADSPIRANTE DIVINI NUMINIS AUXILIO

&

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
BENEVOLE CONSENTIENTE

In Illustri ad Salam ACADEMIA

publico eruditorum examini sistet

PRÆSES

M. MARTINUS Böhmi/

Passenheimo - Prussus

ET RESPONDENS

CHRISTOPHORUS JOHANNES Brabender

Bassensis Curonus.

S. S. Theolog. & Philosoph. Cult.

Ad diem

Februarii A. C. M. DC. LXXXIV.

I E N Æ,

Litteris NISIANIS.

6

8

Viris Excellentissimis, Consultissimis, Amplissimis, admodum Reverendis, Praeclarissimis, atque humillimo cultu aeternum prosequendis.

DN. CHRIST. ACHATIO **Ranger** / J.U.D. & Prof. in Acad. Region. famigeratissimo, ac Confistor. Samb. Assess. gravissimo, Patrono meo honoratissimo.

DN. M. CONRADO **Bogt** / Poëtic. in prælaud. Academ. Prof. celebrissimo, Studiorum meorum Promotori summo.

DN. M. BARTHOLOMÆO **Goldbach** / ibidem Histor. P. P. longè meritissimo, & Ecclesiae Palæopol. Archidiacono vigilantissimo, Mœcenati meo optimo & submissâ officii devotione semper honorando.

DN. M. JOHANNI **Qvandt** / Ecclesiae prædictæ Diacono fidelissimo Fautori meo magno.

DN. M. CHRISTOPHORO **Hartknock** / de Historiâ Prussicâ & Polonâ Viro optime merito, Gymnasii Thoruniensis Prof. in clyto, Civi & Patrono meo laudatissimo.

DN. M. PAULO POMIAN PESAROVIO, antea in Academ. Region. per quinquennium Elect. Alumn. & Commun. Convictor. Inspect. S. dignissimo, jam Wittebergæ SS. Theol. Candidato meritissimo, Fautori & Amico meo æssimatissimo.

PRO meritis magnis, magnas jam debeo grates

Nominibus claris, *Ancora Sacra*, tuis
Quod parvo Sol est Erronum maximus orbi :

Id mihi jam pridem gratia vestra fuit :

Ille suô terram replet recreatque calore :

Me facit & totum vivere vester amor.

Prævenit ille preces, * ac ultrò lumina spargit.

Sic non orantem cura benigna fovet.

Ille probas generat fruges, nec præmia poscit *

A me quæ *Vobis* præmia digna fluent ?

Si tamen acceptant exilia munera multi ;

Has Chartas memori mente tenete, rogo.

Nec munus parvum, sed dantis cernite pectus,

Et poterit pondus conciliare sibi.

Tunc ego prælustres in laudes promptior ibo,

Vestraque, *Patroni*, facta benigna canam.

Ordine narrabo, quo me fovistis, amorem,

Arctaboque aliis debita nostra metris.

Vestr. Excell. Pl. Reç. Dignit. & Clarit.
devinçtissimus

M. Martinus **Böhm**.

* *Joh. Stobæus*
Serm. XLIV.

* *Seneca lib. IV.*
de beneficiis.

6. 130



I. N. J.

S. I.



ΕΝ ΒΟΥΘΩ κείδαι τῶ ἀλήθειαν De-
mocratium circa LXXII. Olymp. natum olim,
pronunciassse referunt *Cicero lib. I. Academ. 99.*
& *Lactant.* (quem ob svavitatem leporemque
scripturæ, *Hieron. Epist. ad Paulin. quæ est XIII.*
Tom. I. Opp. fluvium Tullianæ eloquentiæ no-

minare solebat) *lib. III. Instit. divin. de falsa Sapientiâ cap. 3.*
& 28. Etenim non est tam adeò felix Philosophantium quis-
quam, ut bienniò absolvere possit Philosophiam, hoc est *cogni-*
tionem rerum per causas, juxta *Aristotelem VI. Top. 2. I. post. 2. VI. E-*
thic. 7. V. Eudem. 7. I. Metaph. 3. II. 1. Xenophontem I. Memorabil.
Socratis, & Platonem in Theage: quod contigisse Proclo, *Marinus*
Neapolitanus, discipulus & successor Procli, *in vita ejus testatur.*
Ut enim in omnibus perfectionem consequi nemo potest, affirmante,
Plutarchò lib. de educ. puer. ita neque in Philosophiâ. Hinc am-
bitiosæ nugæ *Philippi Bombasti ab Hohenheim*, alias *Paracelsi* dicti
locum apud cordatos quosvis habere possunt nullum, qui stul-
tissimè effutire solebat, *stultissimum occipitii sui pilum* (recalvaster
enim erat) *plus scire, quam omnes Galeni sectatores & Scripta: imò*
barbam suam plus experimentorum callere, quam omnes in universum
Academias, teste Joh. Hoornbeek, summ. Controv. Relig. lib. VI. de
Enthusiast. & Libertinis p. 401. five, ut ejus verba *Ernest. Sone-*
rus Orat. suâ de ipsò ante medium inducit, gloriabatur etiam
ineptè, *corrigias seu annulos calceorum suorum plus nosse artis medicæ,*
quam Galenus, ARISTOTELES, & qui eos sequantur. Neque *Chri-*
stiani Rosencreuzii, ex nobili inter Germanos familiâ oriundi, ses-
quipedalia fastuosaque verba acceptamus, quibus sibi omni-
um scriptorum, ac totius rei literariæ cognitionem omnibus
numeris absolutam stolidissimè appromisit, ebuccinans: *si vel*

omnes perirent libri, & Deo ita disponente, omnium scriptorum ac totius rei literariæ accideret interitus, posteritatem tamen ex suis scriptis solvum novum fundamentum ponere, ac novam veritatis cognitionem de novo erigere posse, vid. *Confess. Frat. roseæ crucis c. IV.* Hujusmodi farinae homines *Sophistæ* dicti, olim quoque reperiebantur, omnia se scire jactantes: Nemo unquam à multis annis me novi aliquid, quod nescirem interrogavit, ait *Sophista* in *Gorgia* *Platonis*. Et *Empedocles* inter veteres existimavit, omnia demonstrari posse, quos refutat *Aristot. lib. I. post. c. 3.* Verum enim verò ut in defectu errorem errarunt gravem *Pyrrhonii*, *Sceptici*, *Zetetici*, *Aporetici*, *Megarici*, *Eretrici*, *Ephæctici*, & *Patrum* nostrorum memoriâ, *Franciscus Vallesius lib. de Sacra Philof. c. LXIV.* *Franciscus Sanchiez lib. quod nihil scitur pag. 76.* & alii plures, qui nihil sciri posse, nullamque dari scientiam autumabant: ita illi in excessu à mediâ veritatis sententiâ deviarunt, nec exactius perpenderunt, quam arduum sit iter ad scientificam & accuratam rerum cognitionem, in quâ assequendâ comprehendendâque ultimû vitæ finem *Plato* dicitur collocasse. *Plato*, inquit *M. Tyrius Dissert. VI. in multo atque ingenti veritatis studio extremum vitæ finem posuit.* Idem de se *Nestor* apud *Ovidium lib. XV. Metam.* fatetur.

mibi multa vetustas

Scire dedit

Pertinet huc *Ciceronis* egregium effatum *L. III. de Orat. n. 89.* ubi sequentia reperimus: *Nihil est, quod quisquam magnitudinem artium, ex eò, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut Senes ad eas accesserunt, aut usque ad senectutem in studiis deinentur.* Nec *Solonis* honestum dictum, quod laudat prædictus *Tullius lib. de Senect. n. 26. & 50.* prætermittendum esse videtur, qui dicere solebat, *se multa in dies addiscentem, senescere.* conf. *Valer. M. Lib. VIII. c. 7. Exempl. XIV.* in externis. Scilicet ad hanc metam gravissimos hos autores collineasse animadvertimus, ut manifestum redderent, non posse mortales jactitare omnigenam exactamque rerum cognitionem, contra quam *Paracelsus* aliique somniarunt, licet in impetrandâ illa cognitione omnes dies finemque vitæ posuerint.

§. II. Cum enim difficilis Intellectus noster in evol-

ven-

vendis rerum naturalium causis sit, nec eò semper affurgat, ut nos ab admiratione in intimam rei propositæ cognitionem deducat; τὸ ὄτι sapius nobis compertum esse, in aprico est; ἀστὸ δὲ ὁτι sapissimè nos latere luce meridianâ clariùs evidentiusque apparet, ut adeò Aristoteles ingenuè fateatur *intellectum anime nostre, ad ea, quæ manifestissima sunt omnium, ita se habere, quemadmodum oculi vesperilionum ad lumen diei* lib. II. Met. c. 1. Hanc verò difficultatem non in ipsâ Philosophiâ & speculatione veritatis aut in rebus, sed in nostri Intellectûs tarditate ac nobis ipsis quærendam esse egregiè innuit Philosophus l. c. *Difficultas, inquit, duobus fit modis, fortassis causa ejus non rebus, sed nobis ipsis inest.* Cui consona sunt Alexandri Aphrodisiensis lib. I. Metaph. commen. 3. scribentis, *Philosophiam propter nostram tarditatem difficilem esse, naturâ autem sua facilem.* conf. Cicero lib. IV. Acad. qq. n. 7. Nec desunt rationes, quibus difficultas nostra in acquirendâ rerû objectarû cognitione facillimè demonstrari potest. Quamvis enim Neoptolemi apud Ennium, ut allegat Cic. lib. II. Tuscul. qq. §. 1. simulque refutat, & apud Gellium lib. V. Noct. Attic. c. 16. approbare nequeamus sententiam, quâ voluit paucis esse philosophandum; cujus commatis illa quoque sunt verba Platonis, quæ græcè descripsit Gell. lib. X. N. A. c. 22. & latine sic sonant: *Philosophia quidem, ô Socrates, gratiosares est & venusta, si quis illam moderatè, inque adolescentiâ attingat. Sin autem supra modum tempus in ea contriverit, hominum est corruptela.* Hæc, inquam, quamvis improbemus: nondum tamen exquisitam de omnibus scientiam nobis comparabimus, si vel omnem curam laboresque inexhaustos in Philosophiam impenderit. Finitus est intellectus noster, res verò quæ sub ejus considerationem cadunt, innumeræ sunt; hinc omnium rerum causas plenissimè & exactè reddere ac exponere minimè poterit. τὰ καθεκαστα ἀπειρα, τῶν ἀπειρων πὸς ἐνδέχεται καλεῖν ὀπισθὸν; i. e. *Singularia infinita sunt: quomodo possibile est infinitorum habere scientiam?* quærît Philosoph. lib. II. Metaph. cap. 4. Nec dissentit Porphyrius Isag. cap. XI. §. 34. 35. Imò ex eo, si demonstratio omnium rerum daretur, infert Clem. Alexandr. lib. VIII. Strom. processum fore in infinitum, & sic everti ipsam demonstrationem.

Ita enim arguit: *Demonstratio omnium rerum non datur, quod si daretur, procederemus in infinitum, & sic evertetur Demonstratio.* vid. *Aristot. I. post. 3. & I. Ethic. c. 7.* Impedit quoque scientificam rerum cognitionem, si multis, iisque futilibus tricis inutilibusque in Philosophiâ meditationibus aut præcipuam, aut maximam temporis partem conteramus; Quare non immeritò *Aristomachus Solensis* deridetur, quem in Muscarum naturâ explorandâ, pulicumq; saltibus metiendis LX. annos consumpsisse ferunt. Accedit & hoc quod Intellectus Corporis (sæpe sapiens noxiis humoribus infecti) commercio degravatus, ac intercurrentium Phantasmatum turbis impeditus, sensum multa meditantem obruat ac deprimat. *βλαβερὰ μάλιστα τσοφῆς ἰδὺ ἀφ' ὀφθαλμοῦ τῶ σώματος.* Ciborum abundantia humanæ corpori pestifera est inquit *Jamblich. ἠπορτυ. c. II. p. 4.* Et *Horat. L. II. Serm. Satyr. 2.* hac de re ita canit:

Corpus onustum

*Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unâ,
Atque affigit humi divinam particulam auræ.*

Unde legimus apud antiquos benè olim constitutum fuisse, ut ratio victûs, i. e. cibi & potûs ab eis haberetur, qui sese Philosophicis studiis traderent. conf. *Plato lib. II. & V. de LL. Galenus lib. de Cibis boni & mali succi, Jamblich. lib. de vitâ Pythagoræ c. 21. p. 98. c. 24. p. 105. c. 32. p. 190. C. Rhodigin. Lib. III. Lektion. antiqu. c. 3. & lib. X. c. 20.* Frustra itaque omnem aut exactissimam rerum, scientiam nobis pollicebimur; quin potius cum Scaligero subtilitatum Magistro ingeminare fas est, *ad Intellectionem sempiternarum rerum mentis nostræ directam aciem tam imbecillam esse, quam ad Solem intuentum Nyctocoracis est oculus.* Et meritò exclamavit *Lucretius lib. II. de nat. rerum:*

O miseræ hominum mentes & pectora Cæca!

Evidentius id ipsum declararunt illi, qui in ea naturæ opera attentius inquisiverunt, quorū quidē effectus pervidetur, causa verò minime perspicitur. Nobis nunc animus est potentias cœlorum seu corporum cœlestiū, illas quidem, quas influxus vulgò adpellant, earumq; instrumenta sub incudē Disputationis revocare; viâ antiquâ insistentes: Nam τὸ φυσικὸν ἔστι τιμίωτα *Ἐν. 1. Metaph. 3.* Nec abit *Tertull. lib. de Prescript. advers. heret.*

haret. item lib. IV. c. Marcionem, quando antiquissimum quodque, rectissimum esse perhibet, & Basil. M. homil. 1. de Jejunio scite ait: Quicquid antiquitate antecellit, venerabile est. Scilicet utrinque discrepantes conferemus sententias, ut eo facilius veritatis jubar elucescat. Audiatur hac de re Parmenides cum Socrate loquens apud Platonem in Parmenide, & ipse Plato in preclarâ Epistola ad Dionis Propinquos, quam Marsilius Ficinus VII. facit. Philosophus noster lib. III. Metaph. c. 1. scribit melius se habere ad judicandum, illum, qui omnes utrinque oppositas rationes audiat. vid. lib. I. de celo c. 10. t. 101. Disputatio res est maxime utilis: omnia disputantur à nobis, quod hoc ipsum probabile elucere non potest, nisi ex utraque parte causarum facta esset contentio, inquit Cicero lib. II. de offic. & lib. I. Tuscul. qq. §. 7. Quin ipsorum dogmatum conflictus dum inter se conferuntur, veritatem conciliare Clem. Alexandr. lib. I. Strom. docet. Nam vix dici potest, quantas multarum & discrepantium inter se opinionum diligens enarratio, atque dijudicatio, utilitates habeat, quantumque præbeat adjumenti ad pervestigandam, reperiendam, tuendamque veritatem, judicante Benedicto Pererio Tract. de communib. omnium rerum natural. Principiis initio lib. IV. qui est de antiquis Philosophis. Ad extremum optimè affirmat Scherb. Comment. Polit. p. 197. Verum elici ex opinionibus allatis.

§. III.

Cum autem Principium in omni Disputatione sit nomen, teste Galeno lib. I. de methodo medendi c. 5. & juxta Clem. Alexandr. lib. VI. Strom. duæ habeantur veritatis idæ, τὸ ὀρθοῦς καὶ τὸ ἀσάμαχον, meritò tractationem nostram à nominibus inchoamus. Et initio observandum est, potentias istas, de quibus nobis in præsentī sermo, vulgo etiam nomine Qualitatum comprehendī, quam vocem primus in forum Latinum devexisse Cicero multis creditur. Longè namque plures sunt res, quam voces lib. Sophist. Elench. c. 1. Antiqui siquidem Qualitatem, in abstracto, non dicebant, sed in concreto, Quale, & pro qualis Cul. Cul est qui donum dedit? quærit Plantus in Amphitr. ut annotavit Christ. Becmann. in Origg. L. L. voce Qualis p. 649. Qualitatis porrò vocabulum non eodem modo semper se habet apud Philo-

Philosophos. Sumitur aliquando Qualitas pro forma accidentaria, secundum quam aliquid dicitur Quale *lib. Categor. c. 4.* Deinde dicitur Qualitas forma substantialis *lib. IV. Metaph. c. 4.* ubi Philosophus materiam primam Quantitatem, formam verò illius Qualitatem appellat. Aliæ hujus vocis significationes *lib. V. Met. c. 14.* enumerantur, ibidemque differentia & Proprietates substantiarum nomine Qualitatum veniunt. Unde si voce hæc in presenti etiam utendum, intelligetur eâ certa proprietas seu affectio, quâ cælum præditum esse dicitur. *Influxus* quoque vocabulum dupliciter sumitur, latè & strictè. posteriori modo vox illa denotat actionem ipsam vel effectiorem, priori verò modo de quatuor causis dici potest. Denique nomen Cæli triplicem involvit significatum, juxta *Aristotelem lib. I. de cælo t. 69.* Sumitur (1) pro ultimâ & suprema Sphæra. (2) pro complexione orbium cælestium, in quibus sunt Sol, Luna, cæteraque Stellæ errantes seu erronee, inde dicti, non quod cursum habeant vagum & incertum, qui certissimus est, limitesque Zodiaci nunquam transiens, sed quod respectu stellarum firmamenti liberiore, desinit tamen minimeq; errabundo cursu procedere videantur, uti ex sententiâ Mathematicorum explicat *Caspar Bartholinus Danus, Philosophus, Medicus & Theologus celeberrimus Exercit. de Stellar. natura, affectionib. & effectiõib. Theorem. III. n. 5. p. 22.* Et Ciceroni *lib. II. de Nat. Deorum §. 51.* Falso vocantur errantes Stelle, nihil enim, inquit, errat, quod in omni æternitate conservat progressus, & regressus, reliquosque motus constantes & ratos. Accipitur (3) Cælum pro universitate corporum, quæ à supremo orbe continentur. Hic itaque præprimis spectatur prima & secunda cæli acceptio, alias verò hujus vocis significationes invenies apud *Lucilium Philaltheum Comment. in lib. I. Aristotel. de Cælo, consist. 82. 83. fol. 169. 170. Job. Velcurionem Comment. in univers. Phys. prænominati Philosophi lib. II. c. 2. de Cælo, Conimbr. comment. in lib. I. Phys. c. 9. Francisc. Toletum in prædict. loc. & Chrysoptom. Favell. lib. XII. Metaph. quæst. 13.*

§. IV. Influere autem ex Cælis aliquas virtutes in hæc inferiora, & varias excitari mutationes, hæctenus consenserunt (quod sciamus) Philosophi omnes, videturque sensibus nostris,

nostris liquidum, licet adhuc obscurum sit, indeque con-
 vertatur in hunc usque diem, quomodo & unde illæ eveni-
 ant? Quidam Cælum Empyreum in hæc inferiora corpora
 influere, & effectus varios producere autumant, ac, cum no-
 bilitate sua transgrediatur omnia, in subjectum quoque no-
 bilissimum, quod est humanum corpus, operationes suas effi-
 caciùs exercere existimant. Ita *Franciscus Suarez* lib. 1. de ope-
 rib. sex dierum c. 5. num. 8. & *Molina* de eadem materia disp. 3. do-
 cent. *Bonaventura* lib. II. Sentent. dist. 2. part. 2. art. 1. quest. 2.
Tom. IV. fol. 23. hæc de re in Conclusionem differit: Cum natura
 lucis disponat ad vitam, & triplex sit vita secundum triplicem diffe-
 rentiam animæ, differens gradu & dignitate, non solum naturæ, sed
 etiam influentiæ, ita quod cælum sidereum de se ordinatur ad concilia-
 tionem elementorum, & ad susceptionem vegetabilium: Crystallinum
 ad susceptionem sensibilis: sed Empyreum ad susceptionem rationalis.
 Alii, dum semper plures cæli partes sive orbes fuere agniti,
 sic quantum ad eos, in quibus stellæ continentur, iis non
 modo influxum in hæc sublunaria adscribunt communiter
 omnes, sed multi quoque adferunt ex iis futura contingentia
 prænunciari posse. *Favorinus*, qui vixit *Secul. II. post CN.* as-
 serente *Joh. Jonsio* de Scriptorib. *Histor. Philosoph. lib. III. c. 2. p.*
266. testatur apud *A. Gellium* lib. XIV. *N. A. c. 3.* quod apud
Babylonios Chaldæi, i. e. Astrologi (ita enim Chaldæi pro
 Astrologis sumuntur apud antiquos Scriptores, *Ciceron. lib.*
I. de divin. n. XI. Agell. lib. I. N. A. c. 9. Tacitum; Svetonium, Apu-
lejum & passim apud Poetas) docuerint, omnia rerum humanarum
 & parva & maxima tanquam stellis ac sideribus evincta duci ac regi.
Diodor. Sicul. lib. II. Bibl. Histor. c. 3. Aderant Chaldæi, inquit,
 gravibus in rebus semper Consilio atque ope Regibus, tum astrorum pe-
 ritia, tum vero sacrificiis futura prædicentes. *Joh. Boemus Anbanus*
de Moribus, Legibus & Ritibus omnium gentium Lib. II. de Asia c.
3. itidem de Chaldæis narrat, quod ex inspectione Astrorum
 mortalibus futura sint vaticinati. Testantur id ipsum de il-
 lis quam plurimi alii. Et quidem inter Historicos, *Dio Cas-*
sus lib. LV. & LVIII. Hist. Rom. Q. Curt. lib. V. c. 1. Justin. lib. 11. c.
1. & lib. XII. c. 13. Plin. lib. VI. Nat. Histor. c. 26. Inter Poetas *Ho-*

rat. 1. Carm. od. 2. Juvenal. Sat. X. v. 94. & Marcus Manilius,
Proœm. Astronomiœ v. 51. seqq. de Chaldæis ita poetatur.

— — Primiq₃ per orbem

Sideribus videre vagis pendencia fata:

Singula nam propria signantur tempora causâ,

Longa per assiduas completi secula curas.

Nascendi quæcumq₃ dies, quæ vita fuisset,

In quas fortuna leges, quæq₃ hora valeret &c.

Inter antiquos Ecclesiæ Doctores idem de Chaldæis affirmant
Tatian. init. orat. sue ad Græcos, Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. c.
7. Euseb. lib. X. de Præp. Evangel. c. 11. Lactant. Instit. divin. lib. II.
c. 14. & Augustin. lib. XVIII. de C. D. c. 39. Non infimæ quoque
fortis inter Ægyptios erant Proteus & Petosiris, qui Prædictioni-
bus ex sideribus collectis vacabant; unde de illo Virgil. lib. IV
Georg. canit:

— — novit namq₃ omnia vates

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

De hoc Juvenal. Sat. VI. non procul à fine:

— — capiendo nulla videtur

Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

Insuper de Ægyptiorum Hierophantis Diodor. Sicul. lib. 1. Bibl.
Hist. p. 46. & Herod. Halicarn. lib. II. Hist. c. 82. commemorant,
illos ex Astrologia futura divinasse, & varios humanæ vitæ
casus prædixisse. Præprimis Ægyptios huic Astrologiæ divi-
natrici multum studii impendisse, exinde etiam evidens est,
quòd in camporum æquore habitantes cælum ex omni parte
patens atque apertum intueri potuerunt. Conf. Aristot. lib. 1.
Met. c. 1. in fine, Cicer. lib. 1. de divinat. num. 91. 93. Diodor. Sicul.
lib. 11. Bibl. Histor. & Suidas in voce Abraham. Gentem Phœni-
cum ex siderum inspectione futura quoque prænucciasse Plin.
lib. V. N. H. c. 12. Strabo lib. XVI. & XVII. Geogr. item C. Tacitus
lib. XI. Annal. c. 14. referunt. Indigitat idiplum Propertius lib.
11. Eleg. 27. n. 3.

Queritis è Cælo Phœnicum inventa sereno,

Quæ sit stella hominis, commoda quæq₃ mala.

Atque hinc factum, ut Ægyptii & alii gentiles Cælum adora-
verint,

verint, & apud hanc gentem illud Numen, apud aliam aliud coleretur, quod ipsum non aliunde natum, quam ex varia siderum imaginumque natura populis illis & gentibus imperitante *Ptolemaeus lib. 11. Apoteles. & Thom. lib. 11. Sent. dist. XV. q. part. 2.* augurantur. Eundem cum Chaldæis & Genethliacis antiquis præterito & hoc currente seculo multi exsuscitarunt errorem, qui ex astris futura contingentia prænunciari posse somniarunt, & adhuc somniant. Qualis & quantus fuit *Philippus Melancthon*? ab hoc tamen errore immunem eum fuisse quis dixerit? cum ille tum alibi, tum *præf. in libell. de Sphæra Joh. de Sacro Busto* prædictiones divinationesque Astrologicas maximè commendet, eosque qui his fidem detrahunt, mox Epicureos Theologos, mox imperitos nomet. Prostat *Tractat. Astrolog. de Genethliacorum Thematum Judiciis pro singulis nati accidentibus Henr. Ranzowii Producis Cimbrici. Prostat speculū Astrologie Francisci Junctini, Astrologia Gallica Joh. Baptist. Morini, Hieron. Cardani commentaria in Cl. Ptolemei lib. IV. de Astrorum. Judiciis; Hujus item liber de genituris, & aliorum fere innumerorum. Autorum de Astrologia divinatrice expositi sunt foetidi foetus. Nihil dicam de Petro Aliacensi, Joh. Scofero, Origano, aliisque Astrolog. divinatricis assertoribus; Id solum unicè doleo, quod in hodiernis Calendariis ejusmodi nugæ etiamnum reperiantur, quin utramque paginam faciant, quibus miseri mortalium plus fidei tribuunt, quàm Providentiæ divinæ. Quis porrò non tremebundus admiretur *Abrahami* natione, religioneque Judæi, & *Hieronymi Cardani* protervam insaniam? Illius quidem, quod ex observationibus Astrologicis prænunciaverit exspectatum à Judæis Messiam Anno post Domini nostri ortum salutiferum M. CD. LXIV. venturum, quod nimirum eadem tum temporis foret astrorum conjunctio, quæ fuisset olim, cum Moses ex Ægypto populum Israeliticum, eduxisset, quemadmodum referunt *Hieron. Savonarol. lib. III. advers. Astrologos, & J. Picus Mirandul. Dissp. advers. Astrolog. lib. V. c. 12.* Hujus verò, quod horoscopus Christi ex astrorum positu meditari, & ex sinistris quibusdam aspectibus nato Christo datis, fatale illi in cruce suspendium prædiceret non*

eohorruerit. *Comment. in Cl. Ptolemei lib. II. de Astrorum Judiciis*
c. 9. Edit. Lugd. in octava, ut vocant, formâ. conf. Petrus Alia-
ensis in suo Elucidario, Albumasar in lib. II. de conjunct. magnis differ.
ult. Albertus M. in speculo suo Astronomico aliq³, qui Christi genitu-
ram ex astris colligere voluerunt. Eò dementiæ quoque
progressus est Floremundus Remondus Regis Galliarum in curiâ
Burdegalenſi Conſiliarius, vel potius Richicomus Jeſuita (ut ju-
dicat Petrus Matthæus in Hiftoriâ Pacis) qui lib. 1. de ortu & Progreſſ.
heres. cap. 5. dixit, hærefium & Schiſmatum cauſam eſſe influ-
xum & poſitum aſtrorum, itemque conjunctiones Plane-
tarum.

§. V. Nonnulli autumabant, aſtra & Planetas in Intel-
 lectum humanum voluntatemque influere, divitias & ino-
 pias, valetudinem proſperam & adverſam efficere. Tradunt
Aſtologi multi, verba ſunt Plotini Philoſophi Platonici Ennead. II.
lib. 3. c. 1. Planetas ſuis motibus facere non ſolum cætera, veluti ina-
pias, valetudinemq³ proſperam, vel adverſam, verum etiam turpia
atque pulchra, atque id quod maximum eſt, vitia inſuper ac virtutes.
Plinius lib. II. N. H. c. 78. Æthiopes truces eſſe ſcribit ex Cæ-
li rigore. Conf. Apulejus lib. II. Metamorph. ſ. de Aſino aureo.
Alexander ab Alexandro lib. IV. genial. dier. c. 13. Rhodigin. lib.
XVIII. Lect. ant. 18. & alii apud Andream Tiraguell. Tom. II. Opp.
in Leg. VII. connub. Gloſſ. 1. part. 7. n. 14. fol. 108. b. qui ex variis
Cæli locis & aſpectibus diverſas hominibus ingenerari mo-
rum contemperationes adſtruunt. Julius Firmicus Maternus
lib. I. Aſtronomiæ ad Mayortium Lollianum cap. 1. affirmat ê
Planetarum influxu ita formatas eſſe gentes, ut proprio ſint
morum caractere conſpicuæ. Sclythe, inquit, immani feri-
tatis crudelitate graſſantur: Itali ſunt regali ſemper nobilitate præful-
gidi: Galli ſtolidi: leves Græci: avari Syri: Afri ſubdoli: acuti Siculi:
Luxurioſi ſemper Aſiatici, & occupati voluptatibus: Hiſpani elatâ ja-
Etantia animoſitate præpoſteri. Eòdem librò cap. ult. in argumen-
to Mattheſcos emulorum ſequentem reperimus diſcurſum: B fa-
cit cautos, graves, tardos, acutos, ac tacitos, & maturos, bonos,
benignos ac modeſtos. B crudeles, perfidos ac feroces. O religioſos,
nobiles ac ſuperbos. Q luxurioſos, venuſtos & honeſto gratiæ ſplendore
fulgen-

fulgentes. & astutos, callidos, & concitati animi mobilitatibus turbulentos. & acutos, Splendidos, elegantes, & popularis splendoris gratiâ prevalententes. Beda in Psalm. 7. de nonnullis Astrologis enarrat, quod damnationem malorum & salvationem bonorum, non iusto Dei iudicio, sed præter alia, etiam constellationi adscripserint. Imò nonnulli inter Christianos tam audaces reperiuntur, ut furtum, famosorum libellorum nefariam compilationem & alia peccata excusaturi culpam in astra & signa cœlestia transferant. Inter alios quamplurimos, qui non solum ex astris futura prædicunt, sed etiam Planetas in nobilissimas hominis partes, Intellectum & Volunratem influere garriunt, deliravit *Valentinus Weigelius* (alii *Wigelius*) homo stolidus, & ad paradoxa, putridaq; impudentis cerebri somnia divulganda atq; extollend; datus, uti eum describit *Joh. Hoornb. Lib. V. p. 398.* Ille Planetas in hominis Intellectum voluntatemque agere absurdissimè defendit. Nam omnes, qui sub ♄ nascerentur, operarios, Agafones, textores, fures, Lictores, iniquos Judices, Carbonarios, Magos, Tympanistas &c. futuros prædixerat. Omnibus, qui sub ♃ primordia vitæ cepissent, officia Ecclesiastica, Academica & Politica distribuebat. Iis, qui sub ♀ vitæ communis aulam ingrederentur, bellis, cædibus aut tumultibus consecraverat. Porro satis arroganti vesania effutiebatur, nullum Musicum vel medicinem cœlum ingredi posse, quia filii ♃ essent, nullum Papam, Cardinales, Episcopos, Concionatores (adde ipsum Weigelium, qui Concionatoris officio Zscopaviæ in Misniâ fungebatur, teste *Joh. Micælio System. Histor. lib. III. Sect. 2. q. 69. p. 859.*) Ludimagistros, Professores in cœlestis vitæ Palatia receptum iri nugabatur, quia itidem Mercuriales essent. Bellè sanè omnia & quasi ex tripode dicta! Quæ otiosi, imò diabolici cerebelli deliria atque somnia, cum aliis pluribus legi possunt in *Weigelii Astrolog. Theolog. à cap. XI. ad XXVII.* item apud *Hoornbeekium l. ante c. p. 412. 413. 414.* Tandem alii veniorem prænumeratis illis sententiam defendentes adfirmant, influere quidem cœlum & vires suas exercere in hæc inferiora, minime tamen in Intellectum & Volunratem ho-

minis; quam sententiam amplectuntur plures tam Philosophi quam Mathematici.

S. VI.

Sed nec de ipsò illò, per quod, tanquam medium, cœlestia corpora in sublunarem hunc orbem agant, concors & unanimis est omnium sententia. Quidam, ut *Averroes lib. II. Phys. comment. 42. Zimara in Theorem. Propos. 45. & Georg. Agricola lib. IV. & V. de Caus. Subterr.* cum *Joh. Pico Mirandulanò Cœlestem*, Calorem ad omnia effecta, quæ Cœlo adscribuntur, sufficere opinantur. Vid. *Mirandul. lib. III. Dissp. c. Astrolog. cap. 6.* initio, ubi hac de re sequentem in modum fatur: *Est igitur (ut ad unum quacunque conferatur) calor iste cœlestis opifex universalis rerum corporarum, nec est, cur credamus, alios status à Stellis inspirari, ne aut plus superioribus illis corporibus (scilicet ☿ & ☽) aut minus demum inferioribus, quam oportet.* Alii contendunt Corpora Cœlestia in inferiora hæc influere, & varios effectus producere per motum & lumen; cujus sententiæ Patronos vide apud *Conimbr. Comment. in lib. II. de Cœlo. c. 3. quest. 3. art. 1. col. 210. & Alphonsum Pandulphum, Episcopum Comaclensem, Tract. de fine mundi Dissp. Astrolog. c. IV. fol. 225. Petrus quoque Pomponatius lib. 3. Incantat.* motum & lumen, tanquam instrumenta, quibus ipsæ Intelligentiæ mirabiles naturæ effectus producant, defendit. Miracula verò DEI omnipotentis, Prophetiæ, locutiones puerorum recens natorum &c. Corporibus Cœlestibus motu & lumine agentibus non minus flagitiosè quam falsò ab homine nimis audaci adscribuntur. Nonnulli cum videant multa gigni in visceribus terræ, in quæ nec lumen nec motus cœli ingredia-
tur, cum tamen ad omnium generationem conspiret cœlum, influxus occultos, tanquam diversum ab illis Instrumentum, in suæ sententiæ confirmationem commenti sunt. Cujus opinionis defensore[m] nominamus *Ptolem. lib. 1. Quadrip. c. 3. Francisc. Piccolomineum lib. de Cœlo c. 38. p. 515. seqq.* una cum quibusdam Astronomis, Syris, & Academicis antiquis, quos ibidem citat. Eidem opinioni patrocinantur *Ed. Lovanienses in lib. I. Meteor. Aristot. f. 3. Antonius Ruvio lib. II. de mundo. c. 3. quest. 2. Petr. Hurtad. de Mendoza Dissp. de Cœlo. Dissp. II. Sect. 6. Francisc.*
Juncti-

Junctivus. part. I. Specul. Astrolog. p. 313. d. David Origanus part. III. Ephem. Joh. Magir. lib. 2. Physiol. c. 4. Velcur. comment. in Phys. Aristotelis lib. II. c. 2. & Conimbr. in lib. II. de Cælo. c. 3. quest. 3. art. 2. nec desunt ipsis aliorum auctoritates.

§. VII.

Recitatis super hac re diversorum Auctorum diversis opinionibus, ad argumenta eorum accedamus oportet, quibus dicta sua confirmare nituntur. Qui pro influxu Cæli Empyreii militant, his pugnant rationibus:

I. *Quicquid est, operationis suæ gratia est.*

Cælum Empyreum est. E.

Otiosum minimè erit, sed operationis alicujus causa existat necesse est.

Majorem confirmat *Aristot. lib. VII. Ethic. ad Nicom. c. 7. & Damascen. lib. II. de O. F. ubi docet minimè concedendum esse, in mundi universitate aliquam esse Substantiam otiosam. DEVS quippe atque natura nihil faciunt frustra, lib. I. de Cælo. t. 32. Παῦς φύσις ὡς περ ἔχει λόγον, ἔστιν ἡ εἰρη ποιεῖ ἐνεκα ὅτι τινὸς πάλαι. Quæ verba Joh. Arcerius Theodoretus ita latinè vertit: Natura omnis velut rationis particeps, nihil omnino temerè efficit: verum omnia alicujus rei gratia, inquit, Jamblich. in ἀπολ. cap. 6. p. 34. Minorem tuentur cum multis ex Patribus, Robertus Flud. aliàs de Fluctibus in Histor. utriusque Cosmi Tract. I. lib. IV. c. 1. Petrus Lombardus lib. II. Sent. dist. 13. c. 1. & cum eò plerique Scholastici, aliique.*

II. Sequentem in modum concludit *Thomas de Aquino. Quod lib. VI. art. 19. ab absurdò inferens:*

Si Cælum Empyreum in hæc inferiora non ageret, neque super corpora Sublunaria influeret, sequeretur ipsam non contineri sub unitate universi, neque illius esse partem.

Sed absurdum est Consequens. E.

Verum erit Antecedens.

Secundæ sententiæ Patroni, qui ex astris futura contingentia prædici posse confidunt, sequentibus contendunt argumentis.

I. *Provocant ad Experientiam, quæ omnibus verbis posterior est,*

est, teste, *Dionys. Halicarnass. lib. III. Antiqu. Roman. f. 148. Edit. græc. & lat. Francof. 1586. Et Galenus lib. I. de simpl. medicam. facultatib. cap. ult. (40) Tom. V. opp.* Experimentiam his verbis commendat: *Certissima est omnium Judicatrix Experimentia. Quam qui relinquunt, atque aliunde ratiocinantur, non solum falsa pro veris dicunt, sed etiam Tractationis utilitatem destruunt.* Pindarus quoque *Od. I.* Experimentiam vocat Principium omnium scientiarum. conf. *Aristot. lib. I. Prior. c. 30. & I. Metaph. 3.* Compertum, namque est Astrologos ex Astris futura prædixisse, quorum certitudinem & veritatem eventus ipse felicissimè comprobavit. Sic Spurrinna haruspex, & Astrologus suæ artis peritissimus Idus Martias ferales futuras J. Cæsari prædixerat: vid. *Plin. lib. XVIII. Nat. Histor. c. 26.* P. Nigidius natò Augusto horam partûs accepit, inspectisque sideribus affirmavit, Dominum terrarum orbi natum, referente *C. Sueton. Tranquill. in Augusto c. 94.* Nec defuit præfagio Veritas, qui vel ideò Augusti excelsum nomen adeptus est, quod Romani Imperii limites summis viribus auxerat. Ita Nerone nato prædixit Astrologus quidam, natum esse Imperatorem, qui matrem sit occisurus, teste *C. Tacito lib. XII. Annal. non procul à princip.* Id quod etiam evenisse testantur Historici. Inftigante namque Poppæâ Neronis pellice, eò crudelitatis eum adegerat, ut matrem Agrippinam solutili primùm nave Oceano demergere penes se constituerit: cùm verò evasisset periculum tuta, per Libertum Anicetum eam interfici jussisset, attestantib. *C. Tacito l. c. Suetonio in vitâ Neronis. c. 34. Joh. Cluver. Epitom. Histor. p. 257. b. conf. S. Aurelius Victor Epitom. Histor. f. 533. Eutropius lib. VII. Breviar. Histor. Rom. c. 5. f. 577. & Jornandes lib. I. de Regnor. ac Tempor. successione f. 648. Quæ omnia Tom. I. Histor. August. Edit. Francof. 1588. inveniuntur.* Aulus Vitellius eodem die mortuus est, quo ei esse moriendum prædixerant Astrologi, refer. *Johan. Xiphilino Epitom. Dionis in Vitelli vitâ Tom. III. Histor. Aug. fol. 308.* Sigismundus Augustus Rex Poloniae Regionem Prussiae ingrediens, eodem die periculo fuit expositus, quò illud Foxius Astrologus ei prædixerat. conf. *Dni M. Christoph. Hartknochii de Hi-*

storiâ Prusicâ tam civili quam Ecclesiasticâ Viri optimè meriti, civis & Fautoris mei eternum devenerandi de Republ. Polon. lib. I. c. 2. p. 60. Alia Exempla collegit Henricus Ranzowius, quibus stabilire conatur Prædictiones Astrologorum & Genethliacorum cum eventu sæpè congruisse. Titulus libri illius sequens est: *Veræ Prædictiones Astrologica inopinatum eventuum*. Idem argumentum prosequuntur Simon Majolus Episcopus Vulturariensis Tom. II. diæ. canicul. colloqu. IV. Origan. part. III. Ephemerid. & Junctin. de defensione Astrologorum advers. Calumniatores, Speculo Astrologia præfixâ.

II. argumentantur.

Quicquid est signum rerum Contingentium, ex eò possunt futura prænunciari.

Stelle & Planete sunt signa rerum contingentium.

E. ex stellis & Planetis prædici possunt futura.

Major fundatur in Definitione signi ab Augustino lib. II. de doctrin. Christian. cap. 1. allatâ, ubi: *Signum*, inquit, est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire. Minorem ex Genes. c. 1. v. 14. confirmant, ubi legimus quod Deus duo luminaria Solem & Lunam creaverit, & quidem inter alios fines, etiam ob hunc ut essent *תקנת* in signa. Consentit Origenes teste Euseb. lib. VI. de P. E. cap. 9. quando Cælum velut librum quendam esse dixit, in quo Deus depinxerit atque descripserit, quæcunque in toto mundani ævi decursu, suo tempore evenire deberent. Idem docent Porphyrius apud Euseb. lib. eodem c. 4. Plotinus Ennead. II. lib. 3. c. 7. & Marsil. Ficin. comment. in præd. libr. Plotini; & ante hos multis retro sæculis Hermes (de quo Cicero apud Lactant. lib. de Ira Dei c. XI. scribit, quod apud Ægyptios in numero Deorum habitus, & ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus nominatus fuerit) cujus verba allegat Piccolom. loc. s. præced. cit. p. 517. Nil reperitur, aiebat ille, in terris, cui non respondeat in Cælis signum aliquod, id generans, servans, suâq. facultate perficiens. Hinc Jacob. Gaffarel. ex cælò tanquam Alphabetò aliquo, prædictiones Astrologicas eruisse atque extorsisse legimus. vid. Greg. Michael. in Not. ad Gaffarel. curios. inaudit.

III. hōc modō instant.

Dæmones ex astris futura prædixerunt E. etiam Astrologos eādē ratione præcognoscere posse futura quis negaverit? Antecedens probant ex Porphyrio lib. de Resp. & oracul. qui testatur Dæmones non aliunde, nisi intuendo Cœlorum vim & influxum Astrosum, futura prædixisse, atque exinde falsa deprehensa sæpe fuisse oracula ibidem colligit, quod non prædicant per veram divinationem, sed per conjecturas ex rebus naturalibus, & motu Conjunctioneq; astrorum desumptas, quod in multis oraculorum responsis patuit. Unicō exemplō prædictionem à Dæmone factam illustrabimus. Sic Augusto Pythiam percontanti, cui post se fata darent imperium, respondiſſe Apollinem Dæmonem Suidas in Augusto & Euseb. in Chron. p. 75. referunt.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεται με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσωσιν
Τὸν δὲ δόμον πολιπεῖν, καὶ αἰδῶν αὐθις ἐκείσθ
Λοιπὸν ἀπιδι σιγῶν ἐν βασιλῶν ἡμετερείων.

Non disquiremus tamen hic, an fictum hoc sit oraculum ab eis, qui divinam veritatem fraude & mendaciis promovere conabantur. De quo vid. *Borremans. Dialog. de Poetis & Prophetis p. 102.* Sed insuper addimus, ejusmodi Dæmones, qui futura vel ex causis naturalibus, vel ex astris divinabant, Prophetas fuisse vocatos. In Creta olim fuisse Jovis Prophetas ex *Euripide Porphyrius* narrat *περὶ ἀποχῆς lib. IV. Delphis Apollinis Prophetas floruisse, benè observatur ab Ouzelio ad Minut. Felic. p. 152. conf. Richardus Montacutius Anal. Exercit. IV. Johan. de Mey Physiolog. sacr. part. V. Loc. 23. & Borremans. l. c. p. 82.* Consequentia Enthymematis supra propositi ita videtur posse probari: Cum veteres per dæmonium omnem divinationem à Diis ad homines pervenire putaverint, ut *Plato in Timæo & Symposio* affirmavit, colligi potest, Dæmones manifestare Astrologis futura, quæ illi ex astris devehunt. Illi porrò qui tertiam amplectuntur sententiam, statuentes corpora cœlestia in intellectum & voluntatem influere, hos opponunt arietes.

I. Si Planeta influunt in Lunaticos. E. etiam in Intellectum agunt. Sed verum prius. E. & posterius.

Antecedentis veritatem confirmant *Martinus Antonius Delrio* *disquis.*

disquis. Magic. lib. III. part. 2. quest. 4. Sect. 5. & P. Hartadus de Mendoza Disp. de Cælo Disp. II. Sect. 6. §. 44. p. 509. b.

II. ajunt. Animadvertimus quosdam præ aliis acriori valere ingenio, dum promptius & expeditius Philosophicas disciplinas, aut alias artes addiscunt, quam alii, qui multos annos infumunt, & multo labore se defatigant, prius-quam artem aut scientiam aliquam familiarem sibi reddant. Nec ulla alia videtur esse hujus rei causa, nisi quia sub astris melioribus magisque propitiis nati sunt. Hinc etiam inter Planetas alios beneficos, alios maleficos numerant. Duo, inquit, ex sententiâ Astrologorum *Jacobus Bartschius in Planisph. stellato c. 3. p. 48. inter Planetas sunt benefici, Fortune dicti, major ♃, minor ♄: duo malefici, Infortune dicti, major ♁, minor ♀, & tres indifferentes ☉ ☽ & ♁.* Cum itaque astra efficiant, ut alter promptius, alter ægrè & difficulter liberales artes addiscant, sequi inde existimant, quod astra in intellectum & voluntatem hominis influant. Afferunt hoc argumentum *Junctin. part. 1. Specul. Astrolog. p. 314. a.*

§. IIX Nunc argumenta eorum producenda sunt, qui pro mediis aliis atque aliis pugnant, per quæ cælum influat. Pro calore cœlesti, tanquam instrumento unicô cœlestium influxuum sequentes afferunt probationes.

I. *Quo agentia sunt nobiliora: eo paucioribus utuntur instrumentis.*

Corpora cœlestia sunt reliquis omnibus nobiliora. E. paucioribus utentur instrumentis, atque dicendum erit, quod solus calor sufficiat ad devehendas Cœlorum qualitates.

II. *Quodcunque Instrumentum continet in se virtutem gignendi, per illud agunt corpora cœlestia in sublunarem mundum.*

Calor cœlestis continet in se virtutem gignendi. E. calore cœlesti, tanquam instrumentô, influunt corpora cœlestia in hæc inferiora.

Minorem probant ex *Aristotel. lib. II. de generat. animal. c. 3. ubi Philosophus sequentia reliquit verba: Inest in semine omnium quod facit, ut fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur. So-*

his calor, pergit, & animalium ἐξ ἑστῶν ἀρχῶν, i. e. principium vitale.

Qui Instrumenta autoritate Aristotelis & aliorum Philosophorum confirmata rejiciunt, sequentes in medium projiciunt Syllogismos, & imprimis contra motum objiciunt.

I. O. actio naturalis fit per Contactum lib. VII. Phys. c. 2.

Sol & ceteræ Stellæ non tangunt orbem sublunarem. E. neque per motum illum calefaciunt, ac in eum insuunt.

Minor videtur ita posse evinci; quoniam Stellæ aliquot milies millenis milliariibus distant à sublunari hoc orbe. Et ☉ distantiam à terrâ ad nimum 70000. milliari. german. distitam esse statuit *Nobiliss. Otto Gwerike lib. VI. Experim. Magdeburg. c. 9. in fine.* Quin ipse *Aristoteles lib. II. de Cælo. c. 12.* maximam esse distantiam stellarum à terrâ indigitat, ut vel ex hoc capite excuset ignorantiam verarum causarum in quæstionibus de numero & motu Stellarum. Cum itaque tanta sit distantia corporum Cælestium ab inferiori hac Sphærâ, non poterit hæc ab illis tangi.

II. Sol aut motu quo movetur calefacit ac influit; aut motu, quo concutit, atterit & attenuat aërem: Primum si verum, æqualiter calefaceret tam hyeme, quàm æstate. Si secundum, Luna quæ propior aëri magis calefaceret. Sol enim tanto intervallo remotus non æquè ac Luna aërem coagitare potest. E. corpora cælestia non agunt in inferiorē mundū per motum. Imò neque Lumen atterere potest aërem, quod *Zabarell. lib. de Calore Cælesti c. 8.* defendere conatur. E. neque per lumen influit cælum in mundū hunc. Ratio Antecedentis hæc est; quia Lumen nullum corpus est: illud autem demum atterit, quod corporis induit naturam.

Tandem illi, qui influxus occultos tuentur, sic ratiocinantur.

I. Nec lumen nec motus Cœli ingreditur in ea, quæ gignuntur in visceribus terræ. E. motus & lumen non sufficiunt ad devehendas Cœli Qualitates, sed necesse est, ut ex dispositione stellarum ejusmodi occulti influxus seu influentiæ proveniant, ex quibus ea, quæ in visceribus terræ abdita sunt, generationem fortiantur.

II.

II. Lumen & motus solam calefaciunt & calorem leviaque producant; non verò refrigerant, nec gravia & frigida gignunt. E. necesse est dari aliud instrumentum, quod refrigeret & humectet; Sed cum aliud nominari non possit, erit occulta cœlorum Virtus.

III. Dantur corpora mirabilibus affectionibus prædita, quas neque motus neque lumen devehit in sua subjecta. E. erunt influxus seu latentes quædam cœlestium corporum facultates. Antecedens confirmatur: Sic magnes trahit ferrum, electrum paleas & res leves. Remora navigium remoratur testib. *Aristot. lib. II. de Histor. animal. c. 14. & Plutarcho lib. II. Sympof. quest. 7.* Torpedo piscis, hamum piscantis tangens, per tactum hunc obtorpescere facit manum & artus Piscatoris, teste *Alexandr. Aphrodis. Comment. XVII. in Meteorolog.* Salamandram, licet in ignem projiciatur, ab eò tamen non lædi scribit *Dioscorides II. cap. 55. ex interpret. Marcelli Vergilii Edit. Colon. 1529. Conf. Job. Baptiste à Porta Magia naturalis cap. 8. 9. 10.* ubi admirandas alias rerum naturalium proprietates recenset. Unde cum hi admirabiles effectus nec per lumen neque per motum, uti dictum, à cœlestibus orbibus in sua subjecta devehantur, occultis cœlestium corporum actionibus adscribendi erunt.

§. IX. Ne verò intantâ Sententiarum varietate à Veritate aberremus, ac ne nobis contingat, quod Plantatori alicui accidit, qui recentis Plantæ correcturæ aversionem, ita immoderate illam detorquet, ut à medio aberret, & ad contrarium latus & amulum abducatur quemadmodum scribit *Basilus Epist. 41. ad Maximum Philosophum Tom. II. juxta Wolfg. Musculi versionem Basileæ 1565.* Aut ne nobis eveniat, quod iis evenire solet, qui in limo utrumq; crus impræctum habent. Quo namque sese alterutro expedire enixius conantur: eò fortius ac profundius alterum desigunt, juxta effectum *Scaligeri Exercit. CCCVII. Sect. 28.* Prudenter sapienterq; omnis controversia definienda erit, ne vel hinc in Scyllam, vel illinc in Charybdim prolabamur. Et quia, ut *Epicharmus apud Philosoph. lib. XIII. Metaph. c. 9.* fatetur: χαλεπὸν ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων λέγειν καλῶς. Difficile sit ex non bene præsuppositis bene dicere; ad

meliorem propositæ controversiæ intelligentiam, Præsuppo-
sita & Præcognita quædam veritati conformia præmittemus,
ut nostræ sententiæ elucescat rectitudo, contrariæque osten-
datur curvitas. Itaque Præcognoscendum est I. Qualitates
mixtorum corporum, quæ vulgo dicuntur esse in duplici dif-
ferentia: Quædam enim sunt *Primæ*, quædam *Secundæ*. Primæ
Qualitates, quæ in ordine ad secundas hoc nomine gaudent
sunt quatuor: Calor, frigus, humor & siccitas, ex quibus
componuntur elementa, & in easdem etiam resolvuntur, do-
cente *Philosopho lib. II. de Generat. & corrupt. text. 2. & 26.* Quali-
tates secundæ, sunt, quæ ex temperaturâ & mixturâ prima-
rum istarum oriuntur, ut: colores, odores, sapes, & Qua-
litates, quæ vocantur Tangibiles, utpote, crassum, subtile,
durum, molle: densum, rarum: lentum, friabile: asperum,
læve: aridum, lubricum, nec non (ex quorundam opinione)
grave ac leve. vid. *Joh. Velcur. Comment. in Phys. Aristotelis lib. II.
c. 22. & 23.* item *Georg. Lieblerus Epiom. Philosoph. natural. lib. II.
de ortu & interitu c. 1. & 2.* Qualitates primæ dividuntur porrò
in Agentes & Patientes. Ad Agentes referuntur calor & fri-
gus: Ad Patientes humor & siccitas. conf. *lib. II. de generat.
& corrupt. c. 2. text. 8. 9. & lib. 4. Meteorol. c. 1.* ubi easdem Phi-
losophus etiam definit; calorem & frigus quidem per agere,
puta, per congregare & disgregare; Humorem autem & sicci-
tatem per pati, puta, per terminari. Innotescunt hæc per
ipsam Experientiam; observamus quippè calorem ignis con-
gregare puram materiæ substantiam, emollire homogenea,
& separare quamvis per accidens Heterogenea; Quod in au-
ro & argento aliisque metallis animadvertitur. Frigus quo-
que fortius agit, nam non solum homogenea, sed etiam he-
terogenea condensat, cum scil. aqua in gelu coit, & lapides,
ligna, metalla, stramen aliasque res arctissimo invicem ne-
ctit vinculo. Humorem & siccitatem passivas esse Qualita-
tes nemo facilè negaverit. Terminantur enim seu continen-
tur: illæ alienò, utpote ore, vase, aut alio instrumento; hæ
proprio termino; cum verò terminari sit pati, consequitur,
postremas has Qualitates bene annumerari passivis. *Termi-*
nari,

nari, scribit *Alex. Aphrodis. lib. IV. Meteorol. intelligit* (Aristoteles) *concreſcendo ita cogere, ut ea, quæ antea formâ propriâ figurâque carebant ob fluentem humiditatem, ſemperque circumfuſo aere formabantur, propriam formam figuramque recipiant, & propriis finibus terminentur.* Deinde Qualitates conſiderari poſſunt, vel ut ſunt Cœlorum, vel ut Mixtorum. De Qualitatibus Cœlorum nobis jam ſermo eſt, & quid ſint ex dictis, dicendisque obſcurum eſſe nemini poteſt; quare de Qualitatibus Mixtorum paucis quædam in medium afferemus; ſunt verò illæ, effectus è temperie 4. Qualitatum primarum provenientes quorum quidem non ſemper reddi poſſe ſcientificam cauſam, etiam eruditiffimi fatentur. *Fecit Deus multa, inquit Lactant. Inſtit. divin. lib. VII. cap. 9. initio, quorum vis quidem apparet, Subſtantia non videtur.* Quibus conſona habet *Carteſ. part. 1. Princip. Philoſ. p. 9. Impoſſibile namque eſt omnium rerum eſſe demonſtrationem lib. IV. Metaph. c. 4. lib. 1. Ethic. c. 1. & lib. 1. Eudem. c. 6. Pandulph. loc. §. 6. cit. ſcribit: Fateor multa eſſe in natura penetrabilibus occulta, quorum cauſas indagare humane mentis imbecillitas non valet, & quæ admirari potius, quam ſcire fas eſt: unde agebat Theophrastus (lib. 1. Metaph. c. 5. ſi modò eſt illius factus) qui de omnibus rationem queritat, ſimul cum ratione ſcientiam tollit. Et Alexandri Aphrodiſ. præf. lib. 1. Problem. ubi hanc rem fuſè edifferit, cælebre effectum eſt, multa eſſe, quorum nulla ratio reddi poteſt; hinc effectuum per nullas rationes demonſtrandorum, à Medicis appellari dicit abditas ac deliteſcentes cauſas, l. c. Ac in libello de fato ἀδύνα τὰ αἰτία occultas cauſas nominat. Dioſcorides verò lib. 6. c. 34. ἀνατιολόγητα appellat h. e. ratione deſtitutas, quæ ſenſibus & Intellectui evidentem demonſtrationem non exhibent. Scaliger dum *Exerc. CCC XLIV. Sect. 8.* inquit: cur adamas hircinò ſanguine, (quemadmodum *Plinius lib. IV. N. Hiſtor. c. 37.*) aut etiam leporino frangatur? reſpondet: *Non tibi nunc diſſolvam debitum: ſed bonâ fide interea tibi pignori relinquam, ingenii candidique animi verbum hoc: Nescio.* Et *Exercit. CCC XVII. Sect. 21.* ubi in Subſtantiam ignis indagat, ſequentia dictat: *Ignis quid eſt? Subſtantia quæ ad cavum Lune fertur. Hoc habes à ſenſu. Quid ipſa illa Subſtantia ſit planè igno-**

ignoras. Sed sicut vulpes elusa à Ciconia lambimus vitreum
 vas, pulsem haut attingimus. In difficillimis & valde abditis
 in natura, satis eum fecisse affirmat *Aristoteles* apud *Hieron.*
Fracastor. Homocentr. c. 1. qui rem ad id, quod potest esse,
 deduxerit. Audiamus hac de re ipsum *Aristotelem* *lib. I.*
Prior. c. 30. Si in investiganda rei natura, inquit ibidem, nihil sit
 prætermisum, quod illi revera & planè insit, licebit sane rerum omnium,
 que ostendi possint, demonstrationem instituere & adferre. Licet enim
 naturâ tecta & recondita sit de universo veritas, & satis superque inve-
 stigatu difficilis, interim tamen homini ea querenda & investiganda erit,
 idque maxime per *Philosophiam*, inquit, *Jamblich. in resp. c. 21.*
 p. 146.

§. X. Præcognoscend. II. de Cælo Empyreo, quod vo-
 cant, Physico nihil constare, quicquid etiam contradicant, qui
 illud adserunt, esse, agentes, lucidissimum & amplissimum do-
 micilium, aspectabiles cælos proximè cingens & ambiens, in
 quo Beati localiter obambulent, & bonis divinitus sibi conces-
 sis perfruantur. Explodit enim illud, non solum emunctio-
 rum *Philosophorum*, sed præcipuè etiam *Mathematicorum*,
 chorus. Sive enim *Ptolemaicum*, sive *Platonicum*, sive *Chal-*
dæorum vel *Ægyptiorum*, sive *Capernicæum* seu *Hipparchi-*
cum aut *Pythagoreorum*, sive *Tychonianum* mundi Systema,
 inspicias, de Cælo Empyreo nulla fit mentio; Sed locatio VII.
 Planetarum sequenti ordine se insequitur: Proxima terræ est
 ♃, supra hanc constituitur ♄ post ♀, sequenter ☉, deinde ♂,
 ulterius ♁, ultimo ♃ supra hunc stellæ fixæ, ac tandem ulti-
 mum Mobile. Quamvis adhuc etiam de ipso situ numeroque
 Planetarum non incelebris inter antiquos & hodiernos *Ma-*
thematicos Controversia ventiletur, quam definire jam nostri
 non est instituti. vid. *Samuel Reyher Diss. de Mundo KilonI edita*
anno 1674. Planetis Sethum nomina imposuisse scribit *Otto*
Heurnius Babylon. Indic. Ægypt. Philosoph. Primord. lib. I. qui *Chal-*
dæicus inscribitur, p. 9. At si cælum Empyreum sub unitate
 universi numeratum fuisset, neque tum omisum fuisset. Sa-
 bæi Planetas per detestandam *uolobgnotu* septem DEOS DEAS-
 que conjugio sibi mutuo copulatas dixerunt, referente
 Malu-

Mahumed Ben' Isaac de Ritib. Sabæorum p. 10. & 18. apud Joh. Henric. Hottingerum Histor. Orient. lib. I. cap. 8. p. 267. Edit. Tigur. anno 1660. De Cælo tamen Empyreum altum apud eos silentium. An interim ex divinis Oraculis (ad quæ confugiant, qui adfirmant, illud demonstrari possit, sacrarum literarum interpretibus dispiciendum linquimus. Non possumus tamen intermittere, quin nonnulla testimonia contra Cælum Empyreum ex nostratibus Theologis adscribamus. Cælum Empyreum, inquit B. Balth. Meifner. Part. 1. Phil. Sobr. Sect. III. c. 1. quæst. 1. memb. 2. p. 358. immediatè supra Cælos creatos locatum, suisque cellulis distinctum quid aliud est, quam Ens quoddam imaginarium, à Calvinistis præsumtum, ex lacunis Scholasticorum petiitum, verbo DEI prorsus contrarium, & à nostris Theologis jam dudum dirutum & eversum & cap. IV. quæst. 4. membr. 1. p. 444. scribit: Lego equidem die secundo cælum esse productum stellatum, de alio autem cælo corporeo nihil invenio. Unde concludo tale nullum esse. Alias enim historia Creationis foret imperfecta, quoniam non exprimeret partem rerum corporearum principalem, cælum: conf. B. Joh. Gerbard. Tom. IX. LL. Theol. L. de vita æterna cap. 9. §. 170. seqq. item ejus Annotat. in cap. XXV. Matthei. B. D. Jacob. Martini part. poster. Dispp. in A. C. Dispp. IV. §. 20 seqq. & Magnificus D. Calovius Tom. III. System. Theolog. Artic. V. de Creatione c. 2. q. 2. Imò inter ipsos Scholasticos reperiuntur non pauci, qui cæli empyrei existentiam in dubium vocant, illudque titubante saltim Patrum quorundam fide ponunt. Gabriel Biel lib. II. Sent. dist. XIV. quæst. unica Art. 3. inquit: Cælum Empyreum non videtur positum nisi autoritate Bedæ & Basilii. Cui consentiens Thomas part. 1. quæst. 66. art. 3. Habeant, scribit: Strabus, Beda, Basilus de cælo Empyreum rationes sed non multum cogentes. Vid. Henrici Kippingii Instit. Phys. lib. 3. c. 3. in Diatribè singulari de Cælo Empyreum & Exercit. sacrar. Exercit. V. p. 43. seqq.

§. XI. Præcognoscend. est III. Quantum ad actiones nostras astra non necessitare. Quia hac ratione fatalis Stoicorum necessitas (quam omnino invehunt illi, qui mortalium prosperam infaustamque vitam astris alligant) introduceretur, jam pridem in Heracito & ejus affectis explosa. Docuit enim ille, quod *fato omnia ferent*, teste Plutarcho lib. I. de Placit. Philosoph. c.

27. Quid vero fatum fuerit, ex Senecæ verbis sequentibus cuiusvis pervium esse potest. *Fatum quid intelligis? Existimo necessitatem rerum omnium, actionumq̄, quam nulla vis rumpat? quærit ille ac respondet lib. II. Natural. 99. c. 36. conf. Plato in Phædone & Severin. Boethius Comment. in Top. Cicer. Hanc fuisse de Fatô Stoicorum sententiam explicat etiam Plutarchus de Stoicorum repugnantiis, his verbis: Cui fatale est in mari perire, quomodo fieri potest, ut ei mors contingat in terra? Et quomodo Megaris Athenas venire quit? quia fato impeditur? conf. Nemesius Episcop. Emisenus & Philosophus Christianus lib. de Natura hominis c. 35. & 44. Tom. VIII. Bibl. Patr. M. Manilius lib. IV. Astronomiæ apud C. Rhodigin. lib. X. Lect. antiqu. c. 20. ita canit:*

*Fata regunt orbem, certâ stant omnia lege
Longaq̄, per certos signantur Tempora cursus
Nascentes morimur, finisq̄, ab origine pendet.*

Sequi autem Fatum item alia absurda ex affirmatione quod Astra necessitent, jam suo tempore facile colligere potuit Nemesius. l. c. cum inquit: *Qui astrorum Circumvectioni causam omnium, quæ fiunt, assignant, non solum communibus notionibus adversantur, d. etiam omnem Reipubl. administrationem inutilem reddunt. Absurde enim leges, supervacanea judicia, quæ ab iis poenam exigant, in quibus nulla sit culpa. vituperare quoque & laudare nulla ratio est. Nullus enim usus est precum, si omnia fato administrantur. H. I. Priori affinis est ille antiquorum error, qui omninò ex sententiâ, quâ affirmatur astra necessitare, fluit,) quod colligit ex Thrasylli prædictionibus Tacitus lib. 6. Annal. vid. etiam Chrysostom. orat. 32. & Augustin. libro 99. in N. T. c. 115. Tom. IV. opp.) quando Providentiam divinam negabant. Primus hujus erroris autor fuisse Democritus, & Confirmator Epicurus à Lactant. Instit. divin. lib. 1. c. 2. scribitur. Eisdem cum Epicuro inflarunt tibiae Cotta, Chrysippus Vellejus & alii à Cicerone libb. de nat. Deorum citati, conf. Nemes. lib. de nat. hom. c. 35. Tertullian. (de quò Lactant. Septimius Tertullianus fuit omni genere literarum præditus, sed in eloquendo parum facilis & incomptus: & multum obscurus. Instit. divin. lib. I. de Justit. c. 1.) scribit: *Asserant Platonicus Deum curantem rerum: Epicurei otiosum & inexercitum: & ut ita dixerim neminem humanis rebus, positum verò extra mundum. Apolog.**

log. adverb. gentes cap. ultimò. *Plin. lib. II. Nat. Histor. c. 7.* affirmantem, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est summum, irrisione dignum perhibet. Nonnullos è Poetis eandem Cantilenam repetiisse legimus vid. *Sophocl. apud Theophilum Patriarch. Antiochenum lib. II. ad Antolyceum Tom. I. Biblioth. Patr. Euripid. apud Eusebium lib. XIV. de P. E. c. 6. Ovidius lib. II. Trist.* hac de re fabulatur.

Utque DEOS, Cœlumque simul sublime tuenti

Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.

Et alibi, quod à *Tibull. lib. 4. in fine* repetitur, ita canit:

Cum rapiant mala Fata bonos, (ignoscite fasso)

Sollicitor nullos esse putare DEOS.

Idem argumentum fuscè prosequitur *Claudian. initio lib. I. in Rufinum.* Eundem errorem in Prussia nostra, errarunt quondam *Wiclefite* docentes: de iis, quæ in terris sunt, nihil nosse Deum, nullam quoque esse Providentiam divinam, sed omnia casu fieri, teste *Simone Grunowio Tract. XV. c. 4.* Sed solidè inter alios fatuum Stoicorum fatum, quod Tyranno simile est *M. Tyrius Dissert. XXX.* perhibet, *Plutarch. lib. de Stoicorum repugnantiis, & lib. de Fato,* item *Philippus Mornæus lib. de veritate Relig. Christian. cap. XIII.* repressere, ubi insimul ex antiquis Philosophis, contra illud testimonia proferuntur, & Providentia DEI multis argumentis confirmatur. Epicureorum verò impium errorem egregie confutavit *Cicero* libris tribus de nat. Deorum. illico lib. I. §. 3. scitè arguit: *Sunt Philosophi & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procuracionem DEOS. Quorum si vera sementia est, quæ potest esse pietas? quæ Sanctitas? quæ Religio? Sin autem Dii neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino: nec quid agamus animadvertunt: nec est quod ab his ad hominum vitam permanere possit: Quid est quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus &c.* Hinc *Clem. Alexandr. lib. V. Strom. fol. 149.* scribit, quæstionem dignam esse, quæ puniatur, si quis Providentiæ divinæ probationes quareret, cum sit manifesta ex aspectu omnium, qui videntur effectuum. Et ante hunc multis retro seculis *Aristoteles* pronunciaffe perhibetur, flagris eum esse excipiendum, qui Providentiam divinam evidentibus

probendam rationibus exigeret. *Exigunt illi, inquit apud Phi. Morneum lib. de verit. Relig. Christ. c. XI. p. 213. ut sibi rationibus evidentibus probetur Providentia, quâ regitur mundus. Flagris nefarii isti excipiendi sunt, nec veri Philosophi verba, sed carnificis verbera mentur.*

§. XII. Quæ de Aristotele ultimis verbis §. præcedentis innuimus, nonnulli in dubium vocare voluerunt affirmantes, Philosophum nostrum, Providentiam divinam partim negasse, partim de eâ malè sensisse. Defendunt opinionem hanc inter alios *Justinus M. Gregor Nazianz. Orat. I. de Theolog. Clem. Alexandr. lib. V. Strom. multum à fine, & Bessarion Cardinalis Nicenus & Patriarcha Constantinopolitanus lib. III. adversus Calumniatorem Platonis c. 29. Clem. Alexandr. l. c. scribit: Aristoteli venit in mentem usque ad Lunam deducere Providentiam ex Ps. 35: Domine in Cælo misericordia tua, & Veritas tua usque ad nubes. Aristotelis Philosophiam homines facere impios, quod sustulerit Providentiam, divinam, asserit Ælian. lib. III. Var. Histor. Sed ut hæc illis probanda jure remittuntur: Sic potius contrarium in Aristotelis Philosophiâ docetur, & ad amussim ex illius Scriptis evincitur eum Providentiam divinam firmissimis argumentis confirmasse, ac eidem tam cœlestia, quam Sublunaria corpora omnia subjecisse, si literæ manifestæ volumus inhærere. *Ut autem quisque mentem vitæ actionisque Ducem sequitur, & colit, estque optimo animo constitutus: ita est DEO charissimus. Etenim si DII CVRANT RES HVMANAS, SICVTI CVRANT, profecto illud consentaneum est, ut re delectentur optimâ, & quæ generis societate cum ipsis conjunctissima; ait lib. X. Eth. c. 9. Et præcedenti capite libri ejusdem dixerat, DEOS non dormire ut de Endymione, dicitur, sed vivere, quin etiam operari. Multo evidentissimum hujus rei testimonium reliquit idem lib. de mundo (quem librum, Aristotelis esse genuinum scetum eruditè demonstrat *Olaus Wormius Medic. D. & Phys. Profess. in Academia Hafniensi, Proœm. in prædictum librum*) ubi cap. VI. sequentia reperiuntur: *Vetus sermo est, à majoribusque proditus inter omnes homines, universatum ex DEO, tum per DEVM constituta fuisse atque coagmentata: nullamque naturam satis instructam ad Salutem esse posse, quæ ci-***

tra DEI presidium sua ipsa demum tutela permiffa fit — Etenim cur-
Etorum que rerum natura complectitur, cum Servator est DEVS: tum
verò quæcunque in hoc mundo quomodocunque perficiuntur, eorum omni-
um idem genitor est: non sic tamen ipse ut opificis in morem, animalisque
lasitudinem sentientis, labore affici possit, ut qui ea facultate utatur, que
nulli cedat difficultati. vid. alia loca apud Philosophum, utpote,
cap. 2. & 7. prædicti libri de Mundo ad Alexandrum M. lib. VII. Phys.
c. 1. text. 1. lib. II. de Gener. & corrupt. c. 10. text. 59. lib. VIII. Eudem
c. 14. lib. I. Metaph. c. 2. & lib. XII. c. 2. text. 38. & cap. ult.

§. XIII. Præcognoscendum est IV. multos etiam Afro-
logos antiquos in XII. partes, quas Domos vocant, Cælum,
divisisse, sed præcipiti simul vertigiae & discordiâ. Historia
hujus rei peti potest ex Joh. Stadii Leonomihensis Mathematici Ephem-
eridibus Edit. Colon. Agrippin 1570. p. 7. b. & p. 8. a. Ubi quinque
diversas sententias, plures verò adhuc numerari solent, de Ge-
nethliacorum XII. Domibus recitat. *Prima sententia* est A-
brahami Avenezre, & post hunc Joh. Regiomontani, qui cir-
culum Æquatoris assumunt, & ex ejus polis 12. deductis cir-
culis cœli totius ambitum, in Domicilia per Zodiacum inæqua-
lia, per Æquatorem æqualia dispefcunt. *Secunda* est antiquo-
rum Genethliacorum, semicirculum, deductis ex hujus Polo
circulis, in domicilia æqualia distinguunt, Æquatorem
verò per inæqualia. *Tertia* est Campani & Joh. Gazuli Rha-
buzini; Hi namque Semicirculum cujusdam verticalis circuli
(quem super communi sectione Horizontis & Meridiani, tan-
quam Polo descripserunt) per partes æquales distribuerunt,
sed quæ ad Zodiacum & Æquatorem collatæ inæquales sunt.
Quarta est Alkabizii & hujus Commentatoris Johannîs de Sa-
xonîâ, qui accipiunt Semicirculum Paralleli per gradum orien-
tem descripti, Meridianoque Circulo interceptum,
omnes circulos ex polo mundi deducunt per ascensiones
rectas imaginatos. *Quinta* est Porphyrii, quam Gauri-
cus suo suffragio commendat. Ille numerum graduum
& minorum Zodiaci, quo distant Xma & Ima Domus
collectum, in tres partes æquales dividebat, & numerum
ex divisione addebat Xmæ Domui, jam hic numerus addi-

tus, XIam constituebat. Similiter ex XIma adiciebat eundem numerum, atque hoc modo XIIam determinabat. Sed non solum Genethliacos Planetariosque in constituendis XII. domorum initiis & finibus, verum etiam in illarum Proprietatibus Judiciorumque regulis, ex quibus eventuum prædictiones venantur, multis modis inter se dissentire ex ipsorum Astrologicis libellis manifestum esse potest cuique. Tanta est discordia illorum. Conf. *Philath. comment. in lib. I. Aristotelis de Cælo Consil. 27. p. 67. seqq. Henric. Ranzow. l. supra c. p. 20. Joh. Kepler. trium Imp. Roman. Mathematicus, in Trigono aureo c. 6. p. 23. seqq. lib. de Stell. novâ c. 4. in Tertio interveniente th. 117. seqq. & Scherer. c. Feset. p. 59.*

§. XIV. Præcognoscendum est V. Cælum non esse animatum, quemadmodum ei animam Pythagoras & Pythagoræi, Zoroaster, Hermes Trismegistus (quem Otto Heurn. Barbar. Indic. Egypt. Philos. Primord. lib. II. qui inscribitur Indicus c. XXVII. p. m. 245. Noachi auditorem fuisse existimat) Stoicorum Secta, Cicero lib. II. de Nat. Deorum. Virgil. lib. VI. Æneid. Philo Judæus lib. de Gigantibus, & nonnulli ex antiquis Ecclesiæ Doctores tribuerunt. Quæ sententia si locum in Philosophiâ Peripateticâ obtineret, non egeret Cælum ex doctrinâ Aristotelis Intelligentiis (de quibus evol. *Philosoph. lib. XII. Met. c. 47.*) quæ illud moverent; cum proprium viventium sit abs se moveri. vid. *Combr. Comment. lib. II. de Cælo. c. 2. q. 1. art. 1. 2. 3 & 4.* Ut hinc etiam cum *B. Augustino Tom. III. opp. lib. de Spiritu & Animâ. c. 4.* quidam judicent, muscam soli esse præferendam, quod non vivat sensitivam vitam, quemadmodum musca. Contra tamen alii sentiunt, cælum exclusâ etiam mente motrice, quocunque animante, præter hominem, esse præstantius & melius, tantoq; excellentius quanto longius & altius abest à detrimetosis & caducis rebus. conf. *Philath. in lib. 1. Arist. de cælo conf. 20. p. 49.* Sed redeamus ad prius. Quoniam à nonnullis animata putabantur astra; & verò omne animatum nutriatur: Somniarunt porro, humoribus aqueis & terrenis ea ali. Quæ nunguenta jam pridem à Philosopho esse repressa *lib. II. Meteorol. legimus. Cælestia alimento non indigent, quia interitui non sunt obno-*

xia, inquit Aristoteles apud *Plutarch. lib. II. de Placitis Philos. c. 5.* vid. etiam *cap. 15.* Nam fodes unde tantum pabuli astris semper suppeteret? Deinde si plus minusve alimenti illis porrigeretur, fierent nunc majora, nunc minora sidera. Denique dubitari posset, an vapores aquei terreique eousque provehantur? Nam *Albumasar* apud *Pandolph. Tract. de fine mundi. Disp. Astrolog. c. IV.* affirmat, humores à terrâ surgentes neutiquam ad Lunam, ascendere posse, cum super terram ex ipsius sententia non asurgant supra decem & sex stadia. Aut ut notioribus terminis cum recentioribus Mathematicis rem exprimamus: sentiunt hi, vapores illos à terrâ vix sursum provehi ultra duo milliaria Germanica. Imò quomodo aquæ terræ halitus usque ad cavum Lunæ per interjectum Ignis elementum pervadere possent, ut ab eo confestim non absumerentur?

§. XV. Præcognoscend. est VI. unum agere in aliud dupliciter: uno modo immediatè, aliò mediatè. Illud in aliud immediatè agere dicitur, quando actio ejus & influxus ad ipsum pertingit, aliquid in eo efficiendo. Mediatè autem id agit, quando actio eius non pertingit ad ipsum Subjectum, aliquid in eò, causando, sed ad aliud aliquid, ex quo in ipso aliud demum resultat. Sic immediatè agit Ignis in ferrum Chalybemque in ustrinâ, quia in eis calorem producit, non intercedente alio subjecto. Mediatè verò agit in dissita corpora, quæ non prius calefacit, donec interjacentia calore perfusa fuerint. Mediatè item agit Appetitus irascibilis in voluntatem; nam effervescente ac ebulliente cordis Sanguine, cum Intellectus voluntati proposuerit id, tanquam ei conveniens, quod fortasse extra eum affectum constituto minimè conveniens videretur, in voluntatem agit. Ad extremum & hoc adhuc notamus, quod virtutes seu Potentiæ Cælorum ab his ipsis quidem proveniant, licet in illis non inveniuntur. vid. *Aristot. lib. I. Meteorol. c. 3.* in fine, & *Scalig. Exerc. XXIII. Sect. I.* Non enim absurdum est, aliquid alicui Subjecto tribuere, licet formaliter in illò non contineatur. Egregiis effatum nostrum, confirmat Inductionibus C. Barthol. (quem B. *Lineman. Dani-* cum *Aristotelem. Disp.* cui titulus: *Veritas fati Astrologici anno*

1647. *Regiom. editâ appellat*) *Exercit. de Stellar. natura &c.*
 Theorem. VII. n. 4. *Multa efficientia, inquit, cum suis effectis non
 sunt univoca; ut motus ipse non calidus calorem causatur: Vnum actu
 calidum non est, nec siccum, calefacit tamen & exsiccat corpus anima-
 tum, in quod assumitur, & digeritur. Semen albi papaveris Solis radi-
 is expositum, nec humidum, nec frigidum est, infrigidat tamen & hu-
 mectat corpus animatum &c. Quin impossibile est, ut Cœlum
 primas illas Qualitates §. IX. enumeratas sinu suo ambituque
 contineat, cum idem secundum idem contrarii causa esse non
 possit *lib. IV. Meteorol. cap. 6.* contrariorumque effectuum con-
 trariæ sint causæ; cœlestia autem corpora à contrariis Qua-
 litatibus naturam exemisse docet *Philosophus lib. I. de Cœlo*
*t. 20.**

His ita præcognitis ac prænotatis, properandum nobis
 esset ad præsentis Controversiæ per certas Conclusiones decisio-
 nem; verum quia angustiæ pagellarum propositum nostrum
 persequi non permittunt, commodiori occasione, ea, quæ di-
 scutienda restant, reservare cogimur, addentes Fautoris no-
 stri summi, atque Amici perquam dilecti carmen huic nostræ
 dissertationi priori gratulatorium:

Colligis æthereos, BŒHMI doctissime, fluxus;
 Nec tua terrenas mens sapit alta dapes.

Hæc sunt naturæ, sunt vivida femina diæ:

Ac ortûs victum ruminat illa sui.

Sed tibi dum Cœlum. Tu non minus influis illi;

Et certas cœlo fertilitate tuo.

Scilicet agnatâ Cœlo virtute laboras

Hic etiam terris commoda ferrè tuis.

Ergo, quid, BŒHMI, de te sibi Patria spondet?

Te partem Cœli nominat illa sui.

M. LEONHARDUS Kreudtner /
 Læbnicen. Sch. quæ Regiom. Boruss. est P-R.